



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

46 Pensio est onus reale, & transit ad quemcumque in beneficio
successorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

com muniter accidentibus pluribus conferuntur, & præbenda, ac membra à pluribus optantur, remanente successori nudo titulo canonicatus, & præbenda reuerti ab alijs canonicis optantibus dimissa, tunc causa appellationis committitur absque dicta clausula, sine retardatione solutionis pensionis, donec decidatur, quid quilibet pro rata solvere teneatur, ut per Abb. in cap. constitutus. numer. 8. de re lig. do. & in terminis Gomel. in comp. ur. signatu. numer. 87. & Gig. d. tract. qu. 85. numer. 5.

Hinc oritur quæstio, an tali casu vacante canonicatu, præbenda, & membris à pluribus optatis, & unica pensione oneratis, successor in canonicatu, qui in nudo titulo canonicæ spiritualis prædecessori obligato ad solutionem pensionis tantum successit, præbenda cum membris ab alijs canonicis optatis, teneatur totam pensionem persolvere, vel pro rata pensionis concurrere, † cum iure tituli spiritualis consequatur præbendam in locum prioris, & pinguioris præbendæ subrogatam, quæ propterea sapit naturam ejus in cuius locum fuit subrogata. l. 1. §. hac actio, & ibi Bart. ff. si quis testam. lib. es. ius. sue. l. si eum. §. iniuriarum. ff. si quis caut. & Mascard. concl. 1270. numer. 38. de probat. & quod attinet ad præbendam, videtur, quod pro ea in nihilo concurrere teneatur, quia cum illa nunquam fuerit aliquo onere pensionis gravata, pensio imposita super una præbenda non potest per vacationem ad aliam transire, † quia beneficium pensione gravatum, durante pensione, semper transit cum tali onere ad quoscunque successores Rom. consil. 388. numer. 5. Cassad. decis. 12. numer. 1.

de rescript. & Felyn. in cap. ad audientiam. il. 2. num. 6. eod. tit. quæ conclusio procedit etiam in membris optatis, aut si alias quovis modo vivo pensionario transeant in alias personas, † quia pensio est onus reale, & transit, ad quemcunque transit beneficium. cap. querelam, & ibi Abb. 3. not. de elect. Gig. in tract. de pens. q. 39. num. 5. & 6. q. 40. n. 1. & q. 43. n. 2. Criminal. Jun. cons. 298. n. 6. Decian. cons. 37. n. 14. lib. 2. & Monet. de distribut. quot. par. 3. q. 8. n. 22.

An autem titularis † pro titulo, cujus causa obtinuit præbendam, licet minoris valoris præbendæ optatæ, saltem pro rata fructuum contribuere teneatur, cum dictam præbendam obtinuerit loco optatæ, quapropter sequitur naturam tituli, super quo pensio fuit reservata. c. accessorium. de reg. jur. in 6. & Dec. in l. cum principalis. eod. tit. ac subrogatus, ut fuit dicta præbenda loco alterius, sequatur naturam ejus, cui subrogatur, ut l. 1. §. hac actio. & ibi Bart. ff. si quis testam. lib. es. ius. sue. cum alijs supra deductis, erit distinguendum, quia ex facto jus oritur. Ideo, aut per capitulum non assignantur certæ, & determinatæ præbendæ consistentes in certo, & determinato corpore, sed dantur unicuique canonico per procuratorem, seu thesaurarium capituli certæ distributiones in grano, aut pecunia consistentes, aut quædam prædia, quæ constituunt præbendas indistinctas, ex quo optio non facit censeri novam præbendam, & tunc puto canonicum, ratione tituli canonicalis, & præbendæ, pro rata ad solutionem pensionis concurrere debere, ut per Rot. decis. 6. n. 1. ver. in aliquibus. de consuet. in no. & Gig. de pens. qu. 63. num. 3. & 4. Aut præbendæ sunt, & distinctæ, & separatæ, ita quod capitulum